



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 91. Cæsar hujus Sessionis Præses.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. Hymnis, sacrum solemne tum demum  
 A.C. 1415. celebrabatur, postquam Cardinalis Ragusinus nomine Gregorii convocaverat Synodus, non enim Pontifex iste convenitus hucusque institutos pro Generali Synodo habebat. Visum fuit Synodi Patribus, amore pacis in hoc punto aliquid indulgendum esse Gregorii fastui; non enim exiguum hancce submissionem Synodo præjudicium afferre posse, tum temporis credebatur, quamvis exinde Concilii auctoritati plurimum derogatum fuisse, tempus docuerit. Hinc complures tenent Doctores cuncta, quæ tunc agebantur, potius simplicem confirmationem, quam Synodi convocationem continere; ita sane Richerus Doctor, Mamburgus aliquique nonnulli sentiunt.

## §. XCI.

*Cæsar hujus Sessionis Præses.*

Verum ut ut res se habet; id exploratum habemus, quod Imperator in hac Sessione Præsidis vices suppleverit, in sede ad Altaris frontem posita locatus, cuius latera stipabant, atque humiliores occupabant sedes Cardinalis Ragusinus, & Carolus de Malatestis Ariminensis Toparcha; Qui, perlectis Gregorii Papæ Bullis Arimini die decima tertia Martii datis, auctoritate per easdem concessa, partes

partes sibi demandatas Ragusino Cardi-  
nali detulit; hic nomine Gregorii Ponti-  
ficiis scripto declaravit, quod denuo ad pro-  
curandam Ecclesiæ pacem Synodum  
convocaret, seu ut alii loquuntur, appro-  
baret, in quantum per Imperatorem, non  
vero per Joannem XXIII. convocata  
effet, illamque ratam haberet. Nam,  
prout jam insinuavimus, circa hoc pun-  
ctum diversa est Theologorum sententia,  
quamvis ex diplomate abdicationis a  
Gregorio factæ, atque a Cardinale Ragu-  
sino perfectæ manifeste appareat, potius  
de convocatione quam confirmatione a-  
ctum fuisse. En illius tenorem:

## §. XCII.

*Diploma cessionis a Gregorio factæ.*

*Quia sanctissimus Dominus noster Grego-* Labb. Com.  
*rius XII. Papa, audivit & intellectus, to. 12. p. 106.*  
*atque multipliciter est informatus de cele-* & seq.  
*bri fama hujus sacræ Congregationis pro*  
*Generali Concilio Constantiæ congregatæ,*  
*idcirco avidus Ecclesiasticæ unionis & refor-*  
*mationis ac extirpationis hæreticæ pravita-*  
*tis, commissionem fecit, prout in ejusdem*  
*literis nunc lexis dignoscitur contineri. Cu-*  
*jus quidem mandati vigore ego Joannes*  
*Cardinalis Ragusinus auctoritate ipsius Do-*  
*mini nostri, quantum ad eum spectat, ut præ-*  
*dicta sancta unio & reformatio, ac hæreticæ*  
*Hist. Eccl. Tom. XXVI. H præ-*